

SY. numquam commodius umquam erum audivi loqui,
nec quom male facere[m] crederem mi inpunius
50 licere. quisnam a nobis egreditur foras? 560

iii CHREMES CLITIPHO SYRVS

CH. Quid istuc quaeso? quī istic mos est, Clitipho? itane fieri oportet?

CL. quid ego feci? *CH.* vidin ego te modo manum in sinum huic meretrici

inserere? *SY.* acta haec res est: perii. *CL.* mene?

CH. hisce oculis, ne nega.

facis adeo indigne iniuriam illi qui non abstineas manum. 565

5 nam istaec quidē contumeliast,
hominem amicum recipere ad te atque ei(u)s amicam subigi-
tare.

vel here in vino quam inmodestu' fūisti . . . *SY.* factum.

CH. quam molestus!

ut equidem, ita me dī ament, metui quid futurum denique esset!

novi ego amantium animum: advortunt graviter quae non 570
censeas.

10 *CL.* at mihi fides apud hunc est nil me istiu' facturum,
pater.

CH. estō; at certe concedas aliquo ab ore eōrum aliquan-
tisper.

multa fert lubido: ea facere prohibet tua praesentia.

ego de me facio coniecturam: nemost mēorum ami-
corum hodie